

servitii<sup>36</sup> tui premia recipieris“. Sed, sicut solet, pauperis memoria a corde potentis citius elapsa est. Post hoc tempore aliquanto evoluto rursum rex ad prefatum locum veniens rustici prefati casam more suo intravit, cuius tocius anni victum undecunque contractum expendit. Quod cum sepius fecisset et nil omnino mercedis<sup>37</sup> [fol. 69r] consecutus fuisset, quadam die pedibus regis prosternitur et, ut pro suo servicio aliquid mercedis consequeretur, precatur. Rex tandem<sup>38</sup> hominis improbitate victus optionem petendi a se, quid vellet, dedit. Ille optione<sup>39</sup> sibi data nichil aliud petere et nil omnino se velle dixit, quam<sup>40</sup> ut mons sibi contiguus, qui Rammesberg dicitur, sibi in beneficium traderetur. Tunc rex sicut erat liberalissimus, que illi magis expedirent, petere iussit. Sed ille nichil aliud capere, nil aliud velle se, affirmavit, credo non ignarus, quid utilitatis mons ille sibi conferre potuisset. Tandem victus rex inopportunitate<sup>41</sup> hominis montem concessit dicens, se tamen velle quod utiliora sibi petivis[s]et. Nec mora homo iam sepe dictus Franconiam adiit, erat enim et ipse Franco, et plures

tii tui premia recipies“. Sed, ut solet, pauperis memoria a corde potentis citius elapsa est. Post hec rursum rex ad prefatum locum veniens rustici casam more suo intravit, cui ille tocius anni victum undecumque contractum expendit. Quod cum sepius fecisset et nichil ab eo consecutus fuisset, quadam die pedibus regis prosternitur et, ut aliquid mercedis consequeretur, precatur. Qui optionem, quid vellet, petendi illi dedit. Ille nil aliud se velle dixit, quam ut mons sibi contiguus, qui Rammesberch dicitur, in beneficium sibi daretur. Tunc rex liberalissimus, que illi magis expedirent, petere iussit. Sed ille nichil aliud se velle, affirmabat forte non ignarus, quid utilitatis mons ille sibi conferre potuisset. Tandem rex victus inopportunitate hominis montem concessit dicens, se tamen velle quod utiliora sibi petivisset. Nec mora homo iam dictus Franconiam adiit, erat enim et ipse Franco, et plures gentis sue assumens socios locum

36) servitu *Hs.*

37) so auch die *Annalium s. Aegidii Brunsvicensium excerpta* (wie *Anm. 8*) ad a. 1016, S. 10 Z. 4.

38) tande ohne Kürzungsstrich *Hs.*

39) optione – data] so auch die *Annalium s. Aegidii Brunsvicensium excerpta* (wie *Anm. 8*) ad a. 1016, S. 10 Z. 5.

40) qua ohne Kürzungsstrich *Hs.*

41) inopportunitatem *Hs.*